



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Oculus, Hoc Est: Fvndamentvm Opticvm

Scheiner, Christoph

Freiburg i. B., 1621

Cap. XII. Obiectum visibile liberè conspectum multiplicatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71258](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71258)

› visus nobilitate, c. 12. in hæc verba scribat, p. 124. &c. Suffusio in-
 › quit, diuersimodè visum impedit (est autem suffusio, secundum
 › eundem, obstructio pupillæ producta ab humore lento, & glaciei
 › modo inter Corneam & Crystallinū concreto,) nam si pupillam
 › fenestram oculi penitus obserat, visionē omnino præpedit; si par-
 › tem fenestræ occupet dextram vel sinistram, superiorem vel in-
 › feriolem, obiecta quidem conspicientur, verum non nisi seiun-
 › ctim, atque vnum vna vice se visui obijciet: si obstructio medium
 › ipsum pupillæ obsideat, quæcunq; se aspectui obijciet, diuisa ap-
 › parebunt, neque medium cuiusuis rei cerni poterit: quod si hu-
 › mor nec dum omnis collectus, sed hinc inde dispersus fuerit,
 › muscæ ante oculos obuersari putabuntur, &c. Et post pauca.
 › Suffusio incipiens varias rerum species, quas imagines vocant,
 › velut præcursores præmittit, nam muscæ, pili, telæ aranearum in
 › aère se repræsentant, & falsis rerum simulachris oculum illudunt,
 › quod ideo fit, quia crassus & opacus vapor inter Corneam & Cry-
 › stallinum interiacet. Vapor ille non per propriam cernitur spe-
 › ciem, nam alioquin & Vinea videretur, sed per alienas in aère
 › diffusas. Crystallinus quidem humor, vaporem eiusmodi extra
 › oculum subsistere iudicat, sed id accidit, quia externorum conspe-
 › ctui assuevit, ideoque quod intus reconditum est, exterius obuersari
 › censet. Hæc ille, quæ omnia cuiusmodi sint non excutio, eor-
 › um certè quæ verà sunt, vti pleraque esse, non dubito, rationem
 › ex organo visorio reddendam haud ambigo. Quorsum autem al-
 › lata hæc tendant, suo loco, nemine monstrante, animad-
 › vertes.

EXPERIENTIA NONA.

RES VNA LIBERO INTVITV

multiplicatur.


CAPVT XII.

○ Oculus in vmbroso loco constitutus, si per foramen digi-
 › tali plus minus rotunditate transpiciat, in faces accensas,
 › aut

aut alia obiecta valde lucida aut candida, sed inter se discreta & loco diffita, &c. qualia essent fenestræ, vel fenestrarum rotulæ, &c. tum corpusculū aliquod paruum opacum in medio foramine suspendatur inter pupillam & faces interiectum: Si aciem nihilominus in accensas illas faces vno obtutu intendat, quasi non attendens ad corpusculum illud pendulum: animaduertet illud corpusculum, toties veluti insidere faculis illis, quot faculas conspicatus fuerit. Est experientia facilis & explorata.

Foramen sit ABC, oculus in tenebris D, faculæ extra E, F, G, H, I, &c. Corpusculum in foramine suspendum, oculo interpositum K. lam si oculus faces aspexerit, in singulis cernet globulum K, vti figura representat.

Quid hinc eliciam, processu operis videbis. Simile quid habes ex Schönlinio, experientia 8. c. II.



EXPERIENTIA DECIMA.

CAPVT XIII.

Res alba liberè visa, maior apparet quàm non alba. Et si lamina ex dextra oculi parte admoueas, qua radium speciei delatorem abscindas, deficit obiectum album versus illam eandem partem, ampliatur nigrum. Quare hoc & vnde?

AB, sit visibile album, BC nigrum albo æquale, spectetur vtrumque simul ab oculo eodem; iam AB, ampliatur visui ad lineam FD intercisam, obiectum verò BC ad eandem vsque contrahitur, visione libera. Ita vt huius experimenti ignarus, arbitretur visibile BC minus esse visibili AB. Accedat lamella DE, radiumque BF abscindat in D, contrahetur AB, ex parte B versus A.

G 2

sus A